

astabat et cibum e manu capiebat, interim manum ejus quasi deosculans. Hæc aliquando absente monacho tuguriolum ejus fame urgente ingressa panes a sporta abstulit: at mox furti memor ac pœnitens per dies plurimos pudore ducta non rediit. Reversa tandem depressis oculis et capite se accusans veniam delicti ut poterat petiit. Ita habent vitæ patrum, p. III. c. VII. Ad Jessum urbem delphinus puerum adamabat atque in tergorum sua invitatum vehebat per mare quam longe puero placeret, tandemque ad littus revehebat mira pueri et piscis et spectantium delectatione. Tandem cum incautus puer in delphinum insiliret, in spinam dorsi incidit sicque transfosso umbilico extinctus est; quem delphinus restituens littori, conspiciens saucium, sanguinolentum ac defunctum, mortis causam sibi attribuens, animi defectu ipse quoque expiravit, ibique Jassenses utriusque sepulcrum statuerunt. Refert Plin. l. IX. c. VIII. Ælianus, l. VI. cap. XIV. Bestiæ igitur erubescunt de erroribus suis et doloris sensu tanguntur: non erubescat homo? Non doleat peccator?

Tertio, mortis suæ. Ita enim monet Ecclesiasticus, cap. VII. *Memorare novissima tua et in æternum non peccabis.* Et cap. XIV. *Memor esto quoniam mors non tardat.* Eandem nobis memoriam excitare volens Ecclesia, initio quadragesimæ inspergit cinerem in capita nostra dicens: *Memento homo quia pulvis es et in pulverem revertaris.* Docuit S. Augustinus, l. X. confess. cap. XIV. memoriam esse in anima quod est stomachus in corpore, ideoque eam sæpe animæ stomachum vocat. Quemadmodum ergo stomachus si languens sit, cibos non retinet nec concoquit, indeque vitam in periculo ponit: ita si memoria meditationem mortis non retineat, signum est male affecti et de salute periclitantis animi. Ideirco Ecclesia potentissimum medicamentum fovendæ et roborandæ memoriæ adhibere voluit, cinerem. Hoc autem quod Ecclesia semel in anno facit, facere nos quotidie decet. Sane hoc medicamen præscribere voluisse videtur Deus Adamo et Evæ, cum e mortuorum animalium pellibus vestes eis confecit, uti sentit Glossa interlin. Gen. III. Eodem pharmaco usi Elias et Joannes Baptista dum zona pellicea se cinxerunt. Post hos S. Joannes patriarcha Alexandrinus dictus Eleemosynarius, qui sibi monumentum sed imperfectum extrui jussit; solemnibus autem festis in conspectu multorum voluit sibi a fabris dici: *Monumentum tuum, domine, adhuc imperfectum est; jube ergo ut tandem perficiatur, incertum enim est qua hora mors ventura sit.* Refert Leontius in ejus vita. Alii ut hanc memo-

riam crebro in se excitent, mortuorum crania in suis asservant cubiculis, alii sepulera obeunt. Denique ad hunc finem credit E. Chrysostomus, hom. V. de Spiritu s. tom. III. factum esse antiquitus ut juxta portas civitatum sepulera extruerentur omnibus conspicua, quo ingredientiæ scholam humilitatis suæ præ oculis cernentes, memores essent mortis suæ. Quare, auditores, frequentemus quæso sedulo scholam hanc memoriæ; et discamus qua ratione Dei, proximi et nostrimet oporteat meminisse, ne obliviscatur nostri Deus, uti minatur Ose. IV. synagogæ: *Oblita es legis Dei tui: obliviscar filiorum tuorum et ego.* Quin etiam magis in dies proficiamus in hoc studio, ne de schola memoriæ detrudamur ad scholam oblivionis æternæ, ubi nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt; ubi Deus per omnem æternitatem obliviscitur damnatos; quod a nobis ipse avertere dignetur.

## CONCIO VI.

AD PACEM ET CONCORDIAM QUÆ INVITENT.

I. Universum. — II. Pacis pulchritudo. — III. Pacis utilitas. — IV. Favor Dei. — V. Communio paschalis.

## THEMA.

Pax vobis. Luc. XXIV.

Duces et imperatores hujus sæculi a bellis et victoriis suis titulos sibi assumpserunt. Scipio Africanus a bello Africano, Vitellius Germanicus a Germanico bello ita vocari voluit: non ita dux et imperator noster Christus, qui a pace potius, quam natus mundo intulit, moriturus reliquit et redivivus commendavit, nomen habere voluit. Sic enim Isaias, cap. IX. prædixit vocandum eum: *Principem pacis.* Illi forte pacem tandem pepererunt, sed per bella, per cædes, per urbium eversiones, et pacem mundi fallacem; Christus veram et christianam pacem nobis acquisivit, non aliorum internecone, sed sua unius morte. Unde ait: *Pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Illi occiderunt, ut fruerentur pace; iste occisus est, ut frueremur nos. Quando igitur dux noster est *Princeps pacis*, utique tales etiam vult habere milites, qui paci et concordie studeant. Sic enim de iis prophetavit idem Isaias, c. XI. *Habitabit lupus cum agno, et pardus cum hædo accubabit, vitulus et leo et ovis simul morabuntur.* Quamobrem, auditores, ut veri milites Christi sitis, conabor hac concione ad pacem vos accendere. Vos audite.

I. Ad pacem invitat nos primo, universum, quod pulcherrima proportione et pace conexum et firmatum est. Imprimis naturæ auctor Deus trinus quidem in Personis, unus tamen est non tantum in essentia, sed etiam in voluntatum unione. Unde dicitur *Deus pacis*, imo *pax ipsa*, ab apostolo, II. Cor. XIII. Eph. II. Deinde in cælo inter angelos pax summa est et omnimoda concordia, tametsi specie inter se differant. Et cum Lucifer pacem illam turbare vellet, dejectus est in infernum. Ad hæc in motu celorum solis, lunæ ac siderum cursu quanta pax et confœderatio? Præest ille diei, hæc nocti, neque vera est vulgi fabula, solem pugnare cum luna in eclipsi. Elementa item suis consistunt locis et alterum alteri cedit, imo et in alterius gratiam contra naturam suam movetur, levia descendunt, gravia ascendunt, ne reliquatur vacuum, adeoque ne dissolvatur unio et harmonia corporum in universo. Quatuor item anni tempora placide miscentur et sensim mutuo sibi cedunt. In homine quamdiu qualitas est concordia, tamdiu viget sanitas: illa dissoluta, morbus adest. Quin et animalia pacis sunt amantia. Præterquam enim quod *omne animal diligit sibi simile* (Ecl. XIII.) Accipitres in Thracia, teste Æliano, lib. II. cap. XLII. adjuvant homines in aucupio. Aucupes enim retia tendunt; accipitres vero aves in ea compellunt: post una prædam partiuntur. Lupi, quando iis flumen transeundum est, ne aquarum vi evertantur, caudis se invicem mordicus tenent, unde longum ac forte agmen constituunt, quod per-rumpere cum non valeant fluctus, nullo negotio tutissime transnatant, Ælian. l. III. c. VI. Cervi flumen trajicientes aut fretum cibi conquirendi gratia, eum servant ordinem, ut capitum suorum onera super se invicem portant, posteriore super antecedentis tergum cervicem collocante, Plin. lib. VIII. cap. XXXII. etc.

II. Secundo, pacis ipsius pulchritudo et suavitas juxta id Isa. XXXII. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis.* Pax tempore sereno similis est, bellum et discordia tempore tempestuoso, tonitruis et fulminibus ac grandine horrenti: pax sanitati, bellum ægritudini. Quis autem non malit serenum quam nubilum et fulminans cælum: sanitatem quam ægritudinem? Antonius Pius imperator dicebat: *Malo servare unum civem, quam mille hostes occidere*, Jul. Capitolino auctore. Fridericus III. Saxonie dux pacis amans, nullas arces aut munitiones condidit, imo conditas ab aliis solo æquavit: nec pecunias congregabat, sed in usus pios et utiles expendebat. Rogatus cur id faceret, respondit: *Ne ego leviter of-*

*fensus aliquando arcibus et pecuniis meis confisus, nimis facile vicinos me inferiores bello lacessam, et pacem cum eis violem*, Joan. Agricola in proverb. German. Hoc est quod apostolus monet ad Coloss. III. *Pax Christi exaltet in cordibus vestris*, Græce, *palmam ferat*. Ita Abraham cedendo fregit iram et contentionem pastorum Lothi, ita David iram et invidiam Saulis fugiendo eique parcendo vicit.

III. Tertio pacis utilitas, et pernicietas discordiæ et belli. *Concordia enim res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur*, ut dixit rex Micipsa moriturus filiis suis, Salust. in Jugurtha. Pax ad maturam ætatem homines perducit. Unde Cræsus a Cyro captus hoc argumento pacem bello prætulit, quod pacis tempore filii sepelirent patres, in bello contra patres sepelirent filios, Herodot.

Pax abundantiam parit, quod indicare voluit Vespasianus imp. nummo, in quo sculptæ erant plenæ spicæ e duabus manibus simul junctis egredientes, ad indicandum pacem et concordiam matrem esse abundantiam. Patet experientia. In pace enim abundantia est, in bello penuria. Pax invictam reddit civitatem. Audiamus testes. Cum Lacedæmonii periclitarentur, et de civitate muro cingenda cogitarent, Isæus sophista illud Homeri carmen recitavit: *Scutum hæsit scuto, galeæ galea atque viro vir*, et adjecit: *Sic mihi state Lacedæmonii et muris cincti sumus.* Idem dixit Sapiens: *Frater qui adjuvatur a fratre, quasi civitas fortis.* Marcus et Marcellianus, christiani fratres stipitibus infixi psalmum illum cantabant: *Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum!* Cumque irriderent tormenta, erubuit Diocletianus et ambo lanceis confodi jussit. Scilurus rex Scytharum octoginta liberos masculos habens, cum esset moriturus, fasciculum jaculorum singulis porrexit, jussitque rumpere. Id cum singuli recusassent, eo quod videretur impossibile, ipse singula jacula exemit, atque ita facile confregit omnia, filios admomens his verbis: *Si concordēs eritis, validi invictique manebitis; contra, si dissidiis et seditione distrahemini, imbecillēs eritis et expugnati faciles.* Non potuit Scythia magis Sythice rem ob oculos ponere, Plutarchus in apophtheg. Quos si nos Christiani pari concordia muniti essemus, non difficile vinceremus Turcas aliosque Ecclesiæ hostes. Contra discordia omnia dilabuntur juxta id Domini: *Omne regnum in seipso divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.* Et ad Gal. V. *Quod si invicem mordetis et comeditis, videte ne ab invicem consumamini.* Id ipsum insinuaturus Atheniensibus inter se dissidentibus, Leo Byzantius sophista, venit Athenas populo concordiam



suasurus: cumque prodiisset in suggestum corpore admodum pusillo, omnium risus obortus est. Ille fortuitam occasionem vertens in præmium: *Quid, ait, o viri Athenienses, si conspiceretis uxorem meam, quæ tam pusilla est, ut viæ pertingat ad genua mea?* Ad hanc vocem cum major etiam populi risus subortus esset, subiecit: *At nos tam pusillos si quando dissidemus, viæ civitas Byzantium capere potest.* Plut. in præcept. polit. Ultimus Judæ filius fuit Sela, id est, dissolvens; eo nato uxor ejus parere ultra cessavit, ut dicitur Gen. XXVIII. Itanim per dissidium omnia perduntur, uti regnum Romanorum et Græcorum.

IV. Quarto, quia pæcis sectatores Deus magno favore prosequitur, discordiarum vero odio habet. *Beati pacifici, ait Dominus (Græce, beati pacificantes) quoniam filii Dei vocabuntur.* Et apost. II. Cor. XIII. *Pacem habete et Deus pacis erit vobiscum.* Hinc Anselmus (teste Edinero, in ejus vita) dicere solebat eos, qui in hac vita conformant se aliorum voluntati salva æquitate, et cum eis pacem colunt, id a Deo mereri, ut post hanc vitam se accommodet eorum voluntati et cum eis quoque pacem colat. Eos vero, qui discordias amant, pari modo post hanc vitam neminem reperire, qui eorum se accommodet voluntati, juxta censuram illam: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Consentit Augustinus de verbis Dom. qui dicit: « Concorde cum adversario tuo, nescis quando vita finiatur. Cum vita finita fuerit, iudex restat et minister et carcer. At si servaveris adversario tuo bonam voluntatem et cum eo consenseris, pro iudice invenies patrem, pro ministro sævo angelum tollentem te in sinum Abrahamæ, pro carcere paradysum. » Paphnutio abbati et eremite revelatum est, quemdam Heracleæ sibi vitæ meritis esse parem. Hunc igitur inquirens invenit eum quidem uxoratum, sed post secundam prolem, servare cum conjuge castitatem, justitiæ et pietati studere: præsertim vero ad hoc incumbere, ut si quos inter se odio distractos cognovisset, reconciliaret, Pallad. c. LXIV. Vide quo loco sint apud Deum pacifici.

Contra: *Si filii Dei vocantur, ait S. Greg. III. p. pastor. adm. XXIV. qui pacem faciunt, procul dubio Satanæ sunt filii, qui pacem confundunt.* S. Wolstanus episcopus Wigorniensis cum in ecclesiæ ejusdem dedicatione, de pace ad populum concionaretur, plures prius dissidentes sunt reconciliati; unus tamen erat qui adduci non poterat, ut fratris occisori se reconciliaret. Adducto igitur in medium, episcopus ait: *Dominus dixit in evangelio: Beati pacifici, quoniam filii Dei voca-*

*buntur; constat ergo quod si pacifici sunt beati et filii Dei, discordantes sunt miseri diaboli.* Itaque diabolo eum torquendum tradidit, qui confestim eum obsidere et tamdiu affligere non destitit, quousque is pacem hosti daret, Gull. Malmesbur. de pontif. Anglorum gestis.

V. Quinto, quia non est modo tempus litigand cum hominibus, sed cum diabolo. Audi apostolum ad Ephes. VI. *Non est nobis collectatio adversus carnem et sanguinem, id est, homines, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia in cælestibus.* Maligni enim spiritus robustiores et astutiores et nocentiores nobisque infensiores sunt, qui si videant litigare nos et mutuas alere similitates, timendum ne ider nobis faciant, quod in apologo muris et ranæ milvus. Vidit is murum et ranam rixantes et hastis concurrentes, adeoque contententes de principatu in palude: vidit, inquam, et cito litem diremit; utrumque enim unguibus suis raptum raptumque devoravit. Ad eundem modum dum homines in hac mundi palude de præcedentia, de lucello aliisque nugis contendunt, interim demon attendit, quomodo dissidentes suis complectatur unguibus et rapiat in infernum. Ut ergo canes inter se rixantes, cum forte intuentur lupum, pacem mox componunt et communem hostem junctis viribus persequuntur; uti serpenti cum vulpe convenit, teste Plutarcho, in libro de industria animal. quod illis communis hostis sit aquila; ita multo magis oportet nos servare pacem, quibus luctandum est cum dæmonibus communibus et capitalissimis hostibus, Aristides et Themistocles dum inter hostes versabantur et pro republica sua Atheniensi bellum gerebant, privata odia valere jubebant et in gratiam redibant, ne divisi ab invicem præda aliorum fierent, Chavass. I. de prud. cap. VIII. Rudolphus Habsburgensis comes, qui primus imperialem dignitatem in Austriacam domum intulit, cum abbate Sangallensi primo lites gerens, tandem ultro se ad convivium ejus invitans, pacem cum eo fecit, et discedens inde præclarum hoc monitum perlocutus est: *Cui tres sunt lites, meo iudicio recte fecerit, si duabus compositis, tertiam tanto diligentius prosequatur,* Tymp. in spec. magistr. p. II. sig. XLIII. Itaque si quis litem habeat cum hominibus cum seipso et cum dæmonibus; priores duas componat et ultimam tanto impensius prosequatur. Hoc est quod monuit David, Psal. XXXIII. *Inquire pacem et persequere eam.* Et apostolus ad Hebræos XII. *Pacem sequimini (Græce persequimini) cum omnibus.*

ILLUSTRIORES FIGURÆ PASSIONIS CHRISTI DECLARANTUR.

I. Venditio Christi præfigurata. — II. Alapa in domo Caiphæ. — III. Illusio coram Herode. — IV. Collatio cum Barabba. — V. Flagellatio. — VI. Coronatio. — VII. Bajulatio crucis. — VIII. Nudatio. — IX. Crucifixio. — X. Societas latronum. — XI. Judicium in latrones. — XII. Immolatio. — XIII. Vulnus lateris. — XIV. Sepultura. — XV. Requies in sabbato. — XVI. Resurrectio. — XVII. Mortis debellatio.

## THEMA.

*Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas.* Luc. XXIV.

Multa quidem, auditores, prædixit Christus Dominus noster discipulis suis de passione sua, quæ tamen ipsi velut inaudita et stupenda capere non poterant; ut apparet Lucæ XVIII. ubi cum dixisset illis Dominus: *Omnia consummabuntur quæ scripta sunt per prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus et illudetur et flagellabitur et conspuetur, et postquam flagellaverint, occident eum et tertia die resurget:* subjicit evangelista: *Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quæ dicebantur.* Ecce quanta verborum mole describitur ignorantia discipulorum! Nimirum velamen litteræ, quod spiritum Scripturæ s. operiebat, adhuc erat super oculis eorum; figuræ enim veteris legis passionem Christi subtili delineantes penicillo, nondum reserata, nondum impletæ, ideoque discipulis nondum intellectæ erant. At vero ubi omnia illa ordine contigerunt, ibi patuerunt; ideoque mortuo in cruce Domino velum templi, quod arcanâ veteris legis operiebat, scissum est, significans aperta jam esse mysteria, quæ sub typis et Scripturis veteris legis latebant, ut docet D. Ambros. in Lucam, et pulchre D. Cyrillus in Joan. *Quia, inquit, pulcherrimus fidei nucleus, ariditate litteralis testæ perfracta, denudatus est, scissum est velum.* Quare sapienter D. Matthæus prodigium id describens, particulam ecce adhibet: *Ecce velum templi scissum est, q. d. statim atque emisit spiritum.* Ecce scisso velo patuerunt figuræ veteris legis; ecce ibi Joseph venditus; ecce ibi aries vepribus adhærens; ecce ibi serpens in ligno exaltatus; ecce ibi Jonas ad sedandum mare ejectus, etc. Itaque redivivus Christus in hodierno evangelio aperuit sensum apostolis, ut jam intelligerent Scripturas, quas prius adhuc velatas intelligere non poterant. Porro quia æquissimum videtur, ut non soli apostoli et doctores, sed quivis etiam Christiani figuras illas intelligant, idcirco eas nunc

VI. Sexto, quia ante paucos dies nos invicem confœderavimus in s. eucharistia. De Romanis ethnicis scribit Valerius M. I. c. I. « Convivium, inquit, solemne majores instituerunt, idque charistia appellaverunt, cui præter cognatos et affines nemo interponebatur; ut si qua inter necessarias personas querela esset orta, apud sacra mensæ et inter hilaritatem animorum fautoribus concordia adhibitis tolleretur. » Et quid aliud sibi vult convivium nostrum, quod eucharistiam appellamus? Nonne ut in eo omnes confœderemur et omnes querelas deponamus, ac veluti fratres et sorores novam amicitiam contrahamus? « Hoc mysterium, inquit Chrysost. hom. LX. ad pop. Antioch. non a rapina tantum, verum et ab omni vel tenui inimicitia purum esse penitus jubet; est enim pacis mysterium. » Et mox: « Nullus itaque Judas hanc mensam petat, nullus Simon. » Ferunt ædificia, quæ ex calce vino mixta sunt extracta, durabilia esse. Nos apostolo teste, I. Cor. III. *Dei ædificatio sumus, nec vino, sed pretioso Christi sanguine conglutinati in sumptione eucharistiæ.* Itaque stemus simul et persistamus in pace, quam toties optavit et reliquit nobis Dominus. Bernagius præfectus exercitus regis Abyssinorum, cum prætere Lusitano fœdus initurus, apprehensa cruce nixus genibus: *Quam, inquit, pacem Jesus Christus generis humani redemptor discipulis reliquit, eadem esto inter nos, qui ejusdem profiteremur cultum et fidem,* apud Maffeiū, I. VII. hist. Indicæ. Idipsum et nos Christiani faciamus, cruce apprehendamus, in qua Christus cœlum et terram, Deum et homines pacificavit, et dicamus: *Quam pacem Christus nobis attulit natus, quam reliquit moriturus, quam commendavit resuscitatus, eadem esto inter nos.* Audite apostolum, quanta energia, quanto affectu commendat Philippensibus pacem ex vinculis suis scribens, cap. II. « Si qua ergo consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes. » Sic ergo et vos unanimes estote in fide, in observatione mandatorum, in Dei cultu, in fuga peccatorum, etc.



quasi in una depictas tabula, digito commons-trabimus.

I. Ecce vobis Josephum illum venditum Ismaelitis, Gen. XXXVII. Primo enim, uti Joseph instigante Juda fratre uno ex duodecim venditus est; ita Christus venditus a Juda discipulo suo uno ex duodecim quos fratres appellabat. Dicebat Judas patriarcha: *Melius est ut venundetur.* Dicebat Judas proditor: *Quid vultis mihi dare, ut ego eum vobis tradam?* Unde Severian. *Oportebat venditionem Joseph per Judam fieri; quia et Dominus noster a Juda venditus est.* Secundo, Joseph venditus est Ismaelitis et Madianitis mercatoribus, ut habetur Genes. XXXVI. quia scilicet mercatores illi partim Ismaelita, partim Madianita erant. Christus etiam venditus est partim Judaeis velut Ismaelitis improbis, progenitis ex Agar; partim etiam gentilibus velut Madianitis, qui Deum verum penitus ignorabant; utrisque pessimis negotiatoribus.

Tertio, Joseph venditus fuit argenteis viginti; Christus argenteis triginta. Causa hujus discriminis est primo, quia Joseph servus, Christus Dominus, non decebat autem famulum tanti vendi, quanti Dominum, ait S. Hieron. Secundo, Christus erat vir, Joseph puer; non minus autem vile est pretium viri pro triginta quam pretium pueri pro viginti argenteis. Tertio, Christus emptus fuit ad crucem, Joseph ad servitutem solum. Vilius ergo fuit Christi venditio quam Josephi. Quarto, Joseph velut homo purus ex anima et corpore constabat; Christus autem ex anima corpore et divinitate; bene ergo binarius pro Josepho, ternarius pro Christo datus est.

II. Ecce vobis Michæam percussum in maxillam, III. Reg. XXII. Christum a servo cæsum in faciem. Dum Michæas interrogatus a rege Achab de futuro belli eventu, verissime respondit occubiturum in prælio regem, accessit Sedecias qui contrarium regi prædixerat, et percussit Michæam in faciem dicens: *Mene ergo dimisit spiritus Domini, et locutus est tibi?* Ita omnino dum Christus interrogatus a pontifice de doctrina et discipulis, respondit se palam docuisse, alios igitur interrogandos quid docuerit ipse, unus ministrorum dedit ei alapam dicens: *Sic respondes pontifici?* Fecit illud Sedecias impune, tametsi præsentem rege; fecit et hoc servus impune, coram summo pontifice.

III. Ecce vobis Davidem illum coram Achis rege Geth, I. Reg. XXI. Nam primo, sicut David fugiens a facie Saul inimici sui, venit ad Achis, itidem inimicum, utpote Philistinorum, quibus ipse multas clades intulerat, regem; a Judæo ad gentilem, (Deo sic disponente, ut ejus patientia

undique exerceretur, et ut figuram exhiberet Christi ab Herode illusi) ita Christus a Pilato mittitur ad Herodem, ab uno hoste ad alium, a gentili ad Judæum, ut ab utroque populo pateretur, qui utrumque redempturus venerat. Secundo, sicut David in aula regis Achis stultitiam simulavit, collabens (mente potius quam corpore) inter manus ductorum et in ostia domus impingens, quasi vertigine aut ebrietate laboraret; ita Christus in aula Herodis, magna quædam prodigia ob eo exspectantis, impotentem atque ignorantem se simulavit, quasi nec posset aliquid, nec sciret; neque enim signum ullum fecit, neque ei respondit vel unicum verbum, tametsi constanter accusaretur; itaque collabebatur quodammodo inter accusatores, quasi impotens et infirmus; impingebat quasi cæcus et ignorans. Tertio, sicut David ab Achis ejusque servis pro furioso amente habitus, adeoque exsibilatus, (ut indicant illa regis verba ad servos suos: *Vidistis hominem insanum?*) ac demum expulsus est; ita Christus spretus ab Herode, ejusque amicis, remissus est ad Pilatum in veste alba, per irrisionem, quasi ea vestis minime deceret hominem insanum. Achis nihil nocuit Davidi, quod amentem reputaret; similiter Herodes noluit condemnare Christum, quod fatuum existimaret. Denique sicut Saul (si magistro hist. schol. credimus) missis ad Achis litteris repetiit Davidem, velut servum suum fugitivum; ita etiam Herodes reconciliatus est Pilato, quod hic, illius jurisdictioni deferens, Christum ei misisset, ejus subditum.

IV. Ecce vobis caprum illum expiatorium pro peccato, sortibus jactis, morti adjudicatum, alterum emissarium dimissum, Lev. XVI. Iste enim Barabbam latronem, ille Christum significat, secundum Origen. et Bedam eo loco. Primo enim, Christus, etsi revera agnus erat innocentissimus, hirci tamen seu fœtidi et villosi atque in Deum arietantis peccatoris formam induit, adeoque Barabbæ latroni similis factus est, quia magni illius latronis Adami personam representavit. Secundo, sors super utrumque hircum missa est, quando a pontifice duabus chartulis, quarum uni nomen Dei, alteri nomen capri emissarii inscriptum erat, in urnam missis, una extrahebatur, et suo capro imponebatur; simili modo missa quasi sors est super Christum et Barabbam, quando præses dixit populo: *Quem vultis, dimittam vobis, Barabbam an Jesum?* Tertio, quia solus Christus expiare peccata generis humani poterat, ideo sors in ipsum cecidit, ut esset hostia Deo pro peccato hominum: Barabbas vero (genus humanum) liber dimitteretur in so-

litudinem, id est, peccatis dimissis et oblivione sepultis.

V. Ecce vobis tunicam Josephi polymitam, sanguine hœdi tinctam, Gen. XXXVII. Hæc enim quid est aliud, nisi caro Christi flagellis concisa a vertice usque ad plantam? Nam primo, caro Christi tunica erat, quia Filio Dei caro humana extrinseca seu extranea erat, non necessario adhærebat: nobis caro intrinsece et per essentiam juncta est. Polymita et variegata erat, quia omnium virtutum splendore ornata. Deinde caro Christi flagris adeo lacerata fuit, ut plane tota sanguine respersa speciem referret tunicæ sanguine tinctæ. Unde Isaia LXIII. de eo dicitur: *Quis est iste, qui venit de Edom? Tinctis vestibus (Hebr. rubricatus) de Bosra?* Tertio, intincta erat in hœdi sanguine, quia Christus vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. *Disciplina pacis nostræ* (Hebr. retributionis nostræ, quam scilicet Deo pro peccatis nostris debebamus) *super eum*, Isa. LIII. Sanguis hœdi peccata hominum sunt, quæ cruentarunt carnem Christi. Unde ibi subdit Dominus: *Torcular calcavi solus, et aspersus est sanguis eorum (impiorum) super vestimenta mea, et omnia indumenta inquinavi.* Quarto, Jacob, visa filii tunica, scidit vestimenta sua: Deus Pater, visa Filii sui immani concisione, scidit velum templi sui.

VI. Ecce vobis arietem inter vepres hærentem cornibus Gen. XXII. Quid enim aries ille, animal immolari solitum ex ovium grege, nisi Christum designat, qui sicut ovis ad occisionem ductus est in ætate perfecta? Imprimis, sicut aries pro Isaaco immolatus est ab Abrahamo: ita Christus pro hominibus, ut ait Augustinus, l. XVI. de civit. cap. XXII. Debebat mori genus humanum, nisi Christus intervenisset. Secundo, uti aries ille cornibus hæsit inter vepres; ita Christus inter spinas, quibus coronatus in capite fuit. Unde August. loco cit. *In ariete, inquit, vepribus inhærente Jesus Christus significabatur, antequam immolaretur, spinis Judaicis coronatus.* Tertio, Abraham vidit arietem illum post tergum; et Deus Pater vidit Filium suum stantem instar peccatoris a parte generis humani Deo exosi, cujus peccata in se susceperat Filius, atque ita in cruce luit, ut videretur ei Pater tergum vertere, quando nihil poenarum remisit etiam supplicanti.

VII. Ecce vobis Isaacum fasciculum ligni portantem, Gen. XXII. Christum inquam, crucem bajulantem. Nam primo, sicut ligna illa Isaacum combustura de asino translata sunt in Isaacum: ita crux seu reatus poenæ et ignis æterni, peccatorem combusturi, de peccatore translatus est in dorsum Filii Dei, non quidem

urgente necessitate, sed instigante ejus charitate. Secundo, quomodo Isaac tulit in dorso ligna, quibus ipse exurendus erat, usque ad montem Moria, decretum immolationi; ita Christus, exivit in montem Calvaria, bajulans sibi met crucem. Tertio, sicut Isaac, a patre colligatus, impositus est strui, sed pro ipso aries immolatus; ita Christus, tempore passionis a Patre derelictus, et potestati tenebrarum traditus, adeoque ad tempus ligatus, et auxilio divino destitutus, cruci fuit impositus: cæterum, non secundum divinam, sed humanam tantum naturam, passus et occisus. Quarto, Abraham educens filium portabat ignem et gladium, et Deus Pater immolans Filium præ se tulit partim charitatis ignem, dum Filii satisfactionem pro expiatione generis humani accepit, partim severitatis gladium, dum ob alienam culpam tam severe castigavit Filium. In misericordia, in gladio justitia Dei enituit.

VIII. Ecce vobis Noen nudatum, et a filiis irrisum, Genes. IX. Christum, aio, vestibus exutum. Primo, namque sicut Noe e vino, quod protulit ei vinea ab ipso plantata, bibens inebriatus est; ita Christus a synagoga, quam plantaverat ipse, vino cum felle mixto potatus est in Calvaria monte: deinde, inebriatus calice passionis, hoc est, tot cruciatibus, injuriis et tormentis obrutus, ut plus dolorum bibere non posset. Secundo, quemadmodum Noe vino suo inebriatus, indeque nudatus fuit; ita Christus amore generis humani, quod creaverat, victus, et quodammodo inebriatus est, ut vestibus se spoliari, nudum in erucem agi pateretur; adeoque recte dicimus ab ipso genere humano velut a propria vinea Christum inebriatum nudatum esse. Tertio, quomodo Cham irrisit Noen, patrem suum, coram se nudatum, eo modo impii et degeneres Judæi deriserunt Christum in cruce nudatum; quod non præterit David, in Ps. XXI. scripto de passione, ubi, cum dixisset: *Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea;* subjicit illico: *Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me, diviserunt sibi vestimenta mea, etc. d. q. cum risu et subsannatione viderunt nuditatem meam.*

IX. Ecce vobis serpentem æneum in hastili exaltatum, Num. XXI. Christum videlicet in cruce suspensum. Etenim primo, sicut serpens ille effectus, et in perica suspensus fuit, ut sanaret morsus serpentum ignitorum in Hebræis, ita Christus cruci affixus, ut sanaret in nobis morsum illum, quem intulit nobis serpens diabolicæ suasionis, igne corripiens et inficiens in paradiso primos nostros parentes, peccatum videlicet. Secundo, serpens ille æneus (Heb. saraph,